SPRAWOZDANIE

DYREKCYI

C. K. WYŻSZEGO GIMNAZYUM

W TARNOPOLU

ZA ROK SZKOLNY 1907.



1. De interrogationum disiunctivarum apud Tacitum structura. Napisał I. B. Hassny.
2. Część administracyjna Zakładu głównego.
3. Część administracyjna Filii.



TARNOPOL.
NAKŁADEM FUNDUSZU SZKOLNEGO.

Z drukarni L. Wierzbickiego w Tarnopolu.
1907.

SPRAWOZDANIE

DYREKCYI

C. K. WYŻSZEGO GIMNAZYUM

W TARNOPOLU

ZA ROK SZKOLNY 1907.




1. De interrogationum disiunctivarum apud Tacitum structura. Napisał **I. B. Hassny**.
2. Część administracyjna Zakładu głównego.
3. Część administracyjna Filii.



TARNOPOL.
NAKŁADEM FUNDUSZU SZKOLNEGO.

Drukarnia L. Wierzbickiego w Tarnopolu.
1907.



De interrogationum disiunctivarum apud Tacitum structura.



De interrogationum disiunctivarum apud varios scriptores vi et usu a multis viris doctis egregie et luculenter disputatum est ita, ut totam rem denuo tractare maximi sit laboris. Itaque hac disputatiuncula ea tantum, quae ad Taciteum pertinent usum, exponenda mihi proposui, quamquam rem iam Olbrichtius accuratissime tractavit,[1] cui ut maxima ex parte assentior, ita nonnulla aliter atque apud eum statuenda sunt visa. Priusquam autem ad rem ipsam progrediar, liceat mihi pauca de origine et formis interrogationum disiunctivarum referre.

Quae quo tempore ortae sint, nihil sane certum constitui potest. Id tamen ante omnia teneamus necesse est tum temporis, cum sermo Latinus nondum satis excultus simplicibus formis syntacticis utebatur, interrogationes disiunctivas ita conformatas fuisse, ut oppositio sola simplicium ad eandem normam compositarum interrogationum ad disiunctionem exprimendam sufficeret, quem usum in libris raro vel iam apud priscos scriptores deprehendimus ex. gr.

Pl. Asin. 465: Sit, non sit, non edepol scio [2].

Ter. Hec. 665: videte iam... remissan opus sit reductan domum.[3])

---

[1]) De interrogationibus disiunctivis et an particulae usu apud Tacitum Diss. inaug. Halis Saxonum 1883.

[2]) v. Draeger: Historische Syntax der Lateinischen Sprache §. 469.

[3]) v. Draeger: Synt. §. 469, b, ε.

Pl. Epid. 223: Quid erat induta? An regillam induculam an mendiculam? [1])

Temporis decursu, cum sermo Latinus magis magisque excoleretur et ampliore vel in dicendo vel in scribendo usu plures et varias formas proferre coepisset, id quod non multo ante Plauti et Terentii tempora factum esse videtur, plures interrogationum disiunctivarum exstiterunt structurae variis simplicibus interrogationibus inter se oppositis ex. gr.

Pl. Bacch. 400 sqq: nunc certamen cernitur, Sisne necne, ut esse oportet malus, bonus, quoiquoimodi: iustus, iniustus: malignus, largus: tristis commodus.

Cato de re rust. CXI: Si voles scire, in vinum aqua addita sit necne.

Usitatissimae erant formae, quarum parti priori particulis utrum, ne, vel nulla introductae posterior particula an opponebatur, dum supra memoratae rariores fiebant. Tandem usus particulae an in posteriori membro tam peculiaris factus est, ut paulatim vis eius vocis nativa, quae vere interrogativa erat, disiunctiva haberi coepta esset. Causa erat haec, quod in lingua germana disiunctio plerumque per vernaculam „oder ob“ vel saepius „oder“ reddebatur, cui sermonis sui proprietati indulgentes viri docti notionem „oder“ Latino an primitus innatam fuisse contendebant. Inde certe est, quod plurimi, ubi interrogatio simplex apud veteres scriptores inveniebatur, eam haud merito non simplicem esse censebant, sed posteriorem partem disiunctivae interrogationis, cuius prior omissa quidem esset, facile tamen cogitatione subintellegi posset. interrogativam vero vim

[1]) Hand »Tursellinus seu de particulis Latinis commentarii« I. pag. 307—310 negat an in priori disiunctionis membro poni posse, ubi vero exstet, ibi aut a librariis inculcatum aut anaphora positum esse aut denique locos corruptos esse habendos. Idem Grabenstein »de interrogationum enunciativarum usu Horatiano« Diss. inaug. Halis Saxonum 1883 pag. 8 his verbis: numquam prius interrogationis disiunctivae membrum particula an introducitur. Cf. quae contra disputaverunt: Draeger Synt. II. pag. 489, Hinze »de an particulae apud priscos scriptores Latinos vi et usu« Progr. Brandenburg 1887 pag. 15 sq. ubi exempla e priscis scriptoribus collata sunt. Krebs Schmalz Antibarbarus ed 7. t. I. (1905) sub v. an affirmat non usitatum esse an veteribus, sed apud posteriores demum inveniri; idem Schmalz Syntax [3] §. 273.

e particulis ne, num, a posterioribus demum scriptoribus particulae an additam esse.[1])

Quae grammaticorum decreta falsa esse affatim exposuit Hinze egregia, quam supra memorari, disputatione. Is enim demonstravit et exemplis comprobavit non simplices interrogationes e disiunctivis, sed has ex illis esse expetendas.

Quod autem notionem oder (albo) attinet, eam apud posteriores demum scriptores particulae an fuisse additam constat, cum an interrogativa significatione paulatim evanescente ad vere disiunctivam vim coniunctionum **aut, vel, ve, sive** proxime accesserit ita, ut cum eis commutaretur, aut etiam pro eis usurparetur, quem usum apud Tacitum frequentissimum esse infra ostendetur.

Restat, ut de variis disiunctivarum interrogationum formis quaedam referamus.

Atque initio quae fuerint species, supra iam monuimus. Tempore procedente, cum copia verborum et syntacticarum formarum augesceret, variae proferebantur compositiones, neque bimembres tantum, verum etiam e pluribus conformatae aut interdum aliquot disiunctiones iuxta se ponebantur. Bimembrium vero quam varia fuerint genera, tabula proposita clare demonstratur.

---

[1]) Hand Tursel. pag. 297 sq. 305, 314; Gernhard in Sebodii Nova Sylloge 1826 I. pag. 18, Exc. ad Cic. Lael. pag. 246; Commentatio grammatica de formula nescio an vel haud scio an (opusc. Lips. 1836), Archiv. f. Philologie u. Pädagogik 1824 pag. 104. Weissenborn Synt. lat. Eisenach 1835 §. 266, 1. Pott Etymol. Forschungen I.[2] pag. 420. Krüger Gramm. der lat. Sprache 1842 §. 516, 4. Holtze Synt. prisc. script. lat. 1862, II. pag. 271 sqq. Kühner Ausführliche Gramm. der. lat. Sprache II, 235, 5. Draeger Synt. I [2] pag. 348.

Numerus	Particulae	Prisci scriptores	Cicero	Tacitus
1	utrum,—ne—an	1	—	—
2	utrum?—ne—an	1	—	—
3	utrum,—ne—anne	—	1	—
4	utrum, — an	1	—	—
5	utrum? — an	1	—	—
6	utrum, — an...-ne	—	1	—
7	utrum, — anne	1	—	—
8	utrum...—ne—an	1	1	—
9	utrum...—ne—an non	1	—	—
10	utrumne—an	—	—	1
11	utrum—an	1	1	1
12	utrum—anne	1	1	—
13	utrum—an non	—	1	—
14	utrum—necne	—	1	—
15	*) utrum —	1	1	—
16	num—an	1	—	—
17	—ne—an	1	1	1
18	—ne—an non	1	1	—
19	—ne—ne	1	—	—
20	—ne—an...—ne	—	1	—
21	—ne—anne	—	1	—
22	—ne—necne	1	1	—
23	—an—an	1	—	—
24	— an	1	1	1
25	— an non	1	1	—
26	— anne	—	1	—
27	— ne	—	1	—
28	— necne	1	1	—
29	— vel	—	—	1
30	— ve	—	—	1
31	— —	1	1	1

*) Interrogationes, quae hanc formam habent, simplices sunt, sed quia particula utrum incipiunt, posterius membrum suppleatur necesse est.

Inde apparet priscis tantum scriptoribus 9 formas esse proprias, quarum 5 pronomen utrum interrogationi disiunctivae praemissum habent

Ciceroni tantum 8

Tacito tantum 3

priscis scriptoribus et Ciceroni communes 7

omnibus communes 4.

Ne nimius sim, addam disiunctionum, quae tribus pluribusve constant membris, magnum esse apud Ciceronem [1]) numerum, apud priscos inveniri pauciores, apud Tacitum paucissimas. Idem dici potest de locis, quibus plures interrogationes disiunctivae iuxta se positae sunt.

Quod Tacitum quidem attingit, facile ea proprietas intellegitur, si consideramus Cornelium nostrum longiores sententiarum structuras vitare brevitati loquendi studentem.

Id quoque animadvertet, quicumque libros eius diligenter legerit, directas interrogationes disiunctivas prae indirectis perpaucas apud eum exstare. Ac si forte quaerat, quaenam sit eius usus causa, haud difficile id intelleget perlectis his Olbrichtii [2]) verbis: „Facile quis miretur in Taciti libris interrogationes disj. directas exstare paucissimas. Sed cum interrogationes directae locum habeant in colloquiis et diverbiis, in narrandi genere, quo utuntur rerum scriptores, per se rarius eas inveniri liquet, neque fere eae usurpari possunt nisi ita, ut appositum sit verbum interrogandi. Unde apparet apud historicos saepius obliquas quam directas interrogationes inveniri necesse esse“.

Denique necessarium puto docere, quam mihi rationem proposuerim institutam materiam expediendi.

Itaque primum de plenis, quae vocantur, interrogationibus disiunctivis disputabo, quarum ambo membra particulis indicata sunt. Deide de ellipticis, quarum priori parti nulla particula introductae posterior particula an apponitur. Denique de eis, in quibus in an particulae locum coniunctiones vere disiunctivae vel, ve, sive successerunt.

Editionibus ad locos laudandos his usus sum:

C. Halm: Cornelii Taciti Dialogus de oratoribus Lipsiae 1889.

---

[1]) v. Gutsche: De interrogationibus obliquis apud Ciceronem observationes selectae. Diss. inaug. Hal. Sax. 1885.

[2]) pag. 7.

C. Halm: Cornelii Taciti De vita et moribus Iulii Agricolae liber Lipsiae 1889.
C. Halm: Cornelii Taciti De Germania liber Lipsiae 1889.
E. Wolff: C. Taciti Historiarum libri Berol. 1888.
Nipperdey-Andresen: P. C. Tacitus Annales 10 Aufl. Berlin 1904 (Buch I—VI.)
Draeger-Becher: Die Annalen des Tacitus, Leipzig 1899 (Buch XI—XVI.)

A.

Interrogationes disiunctivae, quarum ambo membra expressis incipiunt particulis.

I.

Utrum-an.

Utrum accusativus est neutrius generis interrogativi pronominis „**uter**". Initio igitur is erat utrum vocis in disiunctivis interrogationibus usus,[1]) ut praemisso pronomini uter interrogatio disiunctiva succederet. Quo factum est, ut res, de quibus ageretur, gravius inter se opponerentur,[2]) quem usum apud Plautum etiam et Terentium vulgarem fuisse accuratissime Hinzius pag. 18 sq. demonstravit.[3])

Postea vero nativa eius vocis notione imprimis in disiunctionibus, quarum priores partes nullis particulis instructae erant, paulatim exstincta utrum particulae interrogativae instar usurpari coeptum est, quod apud priscos iam scriptores quamquam raro locum habuisse invenio. Denique in vere disiunctivae particulae interrogativae vim ac notionem abiit, id quod eo facilius fieri potuit, quia iam ipsa potestas eius vocabuli disiunctionem comprehendit. Interrogationes autem, quas huic sententiarum typo adserimus, plurimum aurea, quae vocatur, aetate usu veniebant.[4])

---

[1]) v. Corssen Krit. Beitr. zur lat. Formenl. Leipzig 1863 pag. 291, Hinze pag. 19, 2a, Olbricht pag. 4 sq.

[2]) cf. Kühner pag. 1016, 7, Draeger Synt I. §. 158, A, c, Gutsche pag. 72.

[3]) cf. Draeger l. l.

[4]) cf. Draeger I, §. 158, c, II. §. 468 A, c, B.

Sed apud argentei aevi scriptores raro iam deprehenditur, apud Tacitum quidem in directis disiunctionibus nullum exstat vestigium, in obliquis quattuor tantum reperiuntur loci, quorum duo particulis „utrumne-an“ conformati sunt. Exempla:

Germ. 28: Sed utrum Aravisci in Pannoniam ob Osis, Germanorum natione, an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, incertum est, quia....

An. I. 58: tuum erit consultare, utrum praevaleat, quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita est.

Hoc loco utrum aut vim suam primitivam i. e. pronominalem retinuit aut notionem coniunctionis interrogativae intendit.[1])

Quod autem **„utrumne“** attinet, non consentiunt inter se viri docti. Draegerus quidem recte affirmat [2]) particulam utrumne ita ortam esse, ut voces „utrum“ et „ne“ apud priscos et aurei aevi scriptores aliis interpositis vocabulis distinctae argentea aetate in „utrumne“ contractae adhiberentur, cui opinioni haud scio, an recte contradicat Olbrichtius [3]) Kühnero adsentiens, qui affirmat [4]) „utrumne“ per adnexionem vocis „ne“ encliticae ad „utrum“ esse formatum similiter atque „anne“ „numne“. Atque de anne re vera recte id statuit consentitque ei Draegerus,[5]) quas opiniones rursus Hinzius impugnat, cum anne esse primitivam et vetustiorem formam, an recentiorem ex illa per apocopen derivatam putet,[6]) quamquam altera ex parte e Cic. ad Att. XII, 52, 2: „Nescio, quid videris dubitare de Clodia: utrum, quando veniat, an sintne venales“ conici potest anne per copulationem „an“ et „ne“ initio distractarum ortum esse. Numne autem iam apud comicos usu venire negavit Handius,[7]) quódque contra

---

[1]) cf. Gerber-Greef-John Lexicon Taciteum pag. 1727.
[2]) Synt. I. pag. 347 sq, II. pag. 495 sq.
[3]) pag. 5. adn. 1.
[4]) II. pag. 1016.
[5]) I. §. 158 C; cf. Hand Turs. I. pag. 356, Holtze II. pag. 283 sq. de particulae anne usu cf. O. Wolff »de enunciatis interrogativis apud Catullum, Tibullum, Propertium« Halis Sax. 1833 pag. 19. H. Merguet Lexicon zu den Reden des Cicero, Jena 1877, I. pag. 221. Gutsche pag. 73, 85, 95. Kühner §. 234, 8. Draeger Synt. §. 468, I. b, 1.
[6]) pag. 1. sq.
[7]) Tursell. IV, pag. 317; cf. Ritschl Opusc. II. pag. 248 adn.

codicum fidem nonnullis locis legebatur, inde iam depulsum est. Si contra locos, quibus „utrum“ et „ne“ interserta alia voce disiunguntur, illosque, quibus „utrumne“ occurrit, comparamus, haud aegre inde evincitur „ne“ facile divelli atque cum „utrum“ connecti potuisse. Exempla sunt duo eaque in Dialogo:

Dial. 35: in quibus non facile dixerim, utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis afferant.[1])

Dial. 37: nam multum interest, utrumne de furto aut formula et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum.

II.

Ne — an.

Directae.

An I. 42; Militesne apellem, qui...., an cives, quibus tam proiecta senatus auctoritas?

Hist. I, 30: habitune et incessu an illo muliebri ornatu mereretur imperium?

An. VI, 2: Sed quos omitti posse, quos deligi? Semperne eosdem an subinde alios? Et[2]) honoribus perfunctos an iuvenes, privatos an e magistratibus?

Indirectae.

1.

Ne-an sequitur:

a) verba:

α) interrogandi:

Hist. III, 1: Illic agitavere placeretne obstrui Pannoniae Alpes, donec a tergo vires universae consurgerent, an ire comminus et certare pro Italia constantius foret.

An. III, 1: rogitantium inter se, silentione an voce aliqua egredientem exciperent.

An. XII, 17: pensitato, Mithridatisne rebus externis an patrio regno consuleret.

An. XIII, 26: quibusdam coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse frementibus, ut,[3]) vine an

---

[1]) Interrogatio tribus constat membris, quae particulis utrumne-an-an inter se opposita sunt.

[2]) Halm: alios, et...

[3]) ex correctura Ernestii (cod. M. non exhibet illud »ut«); ceterum cf. Olbricht pag. 10 sqq.

aequo cum patronis iure agerent, sententiam eorum consultarent ac verberibus mamanus ultro intenderent.

An. XVI, 25: Tum Thrasea consultavit, temptaretne defensionen an sperneret.

β. dubitandi:

Germ. 5: Argentum et aurum propitiine an irati dii negaverint, dubito.

Hist. I, 42: ambigitur, consumpseritne an proclamaverit.

γ) alia:

Hist. II, 100: nec sciri potest, traxeritne Caecinam an impulerit.

Hist. III, 28: Hormine id ingenium an potior auctor sit C. Plinius, haud facile discreverim.

b) adiectiva:

Hist. I, 91: qui trepidi, fortuitusne militum furor an dolus imperatoris.

Hist. IV, 49: is temptaveritne Pisonem ad res novas an temptanti restiterit, incertum.

An. VI, 22: in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur.

c) substantiva:

Hist. III, 20: adempto omni prospectu, tormentisne et telis an operibus et vineis adgredienda urbus foret.

An. II, 40: cum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum servum suum coerceret an sineret.

2.

Praeter exempla, quae modo laudavi, tres exstant loci ita comparati, ut parenthesin quandam vel interpositionem aut appositionem efficiant. In his quoniam duplex omissio cernitur, ibi latius tractabuntur, ubi de ellipsi duplici exponemus. Sunt autem: Hist, IV, 47, An. XII. 30. 67.

Allata adhuc exempla demonstrant interrogationes disiunctivas, quarum ambo membra particulis efficiuntur, paucas omnino exstare. Earum enim, quae „utrum-an“ vel „utrumne-an“ particulis introducuntur, in libris minoribus, qui sunt Dialogus, Germania, Agricola, non

nisi tria inveni exempla, in Annalibus unum tantum. Ne-an contra semel tantum occurrit in Germania, in posterioribus demum i. e. Historiis et Annalibus 19, promiscue utrum (ne) — an 4, ne-an 20 locis. Idem, quod de ne-an, dici potest etiam de eis interrogationibus, quarum priores partes nullis particulis indicatae sunt. Nam in minoribus scriptis 5 omnino obvia exempla, dum in ceteris libris permultae et variae reperiuntur structurae ellipticae, quibus nota illa breviloquentia Tacitea optime declaratur.

B.

Interrogationes disiunctivae, in quarum membro priori particula omissa est, posterius ei particula an opponitur.

Ut apud Ciceronem enunciatorum interrogativorum, quorum membra ad particulas utrum-an et ne-an sese applicant, usus frequentissimus est (nam ca. 160 + ca. 120 = ca. 280 locis occurrunt), eorum autem, quae particulam an solam recipiunt, prae eis satis exiguus (ca. 70 locis), ita apud Tacitum ratio diversa est. Nam hic exceptis ca. 30 ceterae omnes fere ita comparatae sunt, ut maxima ex parte duo vocabula particula an breviter graviterque inter se opponantur, unde sententiae brevi verborum circuitu exhibentur.

Quod fit in indirectis interrogationibus, directae enim aliquot tantum exstant. Cum autem in eis non solum simplices aut duplices, sed etiam triplices vel quadruplices quoque deprehendantur omissiones, vocantur ellipticae. His igitur ellipticis disiunctionibus optime perspicitur concinnus et contractus dicendi modus. Simplicium omissionum iam apud priscos scriptores magnum invenimus numerum. Duplices autem, triplices et quadruplices apud recentioris demum aevi scriptores frequentiore usu veniunt.[1]) Apud Ciceronem enim in orationibus, quas eleganti et erudito stilo compositas esse constat, nullum est vestigium, eorum autem, qui proferri possunt, locorum plurimi exstant in

[1]) cf. Draeger Synt. §. 468: »Eine verkürzte Form der Disjunktion mit einfachem an und mit Ellipse des Verbum kommt seit Cicero öfters vor«.

epistulis, ubi Cicero quotidiano communi utitur sermone, quem ad abbreviationem et omissionem non solum singularum syllabarum sed etiam universorum vocabulorum propensum fuisse notum est. Inde igitur eae formae in libros scriptos receptae sunt. Duo habemus genera earum interrogationum. Aut enim omissio locum habet aut interrogatio disiunctiva omisso verbo finito in aliam sententiam interponitur vel ei apponitur et ita quidem, ut indicativum modum enunciationis non mutet.[1]) Si insuper consideraveris particula an plurimis locis singula vocabula disiungi et inter se opponi similiter atque vere disiunctivis coniunctionibus aut, vel, ve, sive, facile intelleges, cur factum sit, ut an his locis ad particulas nominatas praesertim ad aut proxime accesserit et pro eis adhiberetur.[2]) Etiam diversa intercedit ratio, cum aliquot locis pro an posita exstent vel, ve, quem usum suo loco accuratius tractabo. Nusquam tamen decipitur aut pro an. [3])

I.

Interrogationes, in quibus ellipsis simplex statuenda est.

Directae.

Dial. 13: Nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? Quod timent an quod timentur?

---

[1]) cf. Hand I. pag. 300 sqq. Draeger Synt, §. 468, I, a, 1. Kühner Gramm. §. 234, 3 Anm. 1. Olbricht pag. 21 sq.

[2]) cf. Hand I. pag. 302 sq. Draeger Synt. II. pag. 493, Schmalz Synt. 3 §. 225, Schmalz-Krebs Antib. ed. VII, t. I. pag. 160.

[3]) id alios quoque scriptores attingit, ubi, quotiens re vera aut particulae an loco apparet, scribendum est an ex. gr. Plin. Ep. X, 48: „dignum est certe deliberatione sitne faciendum **aut** sit relinquendum an etiam destruendum".— Haec mutua particularum an et aut consuetudo tam vulgaris est, ut multis locis non solum grammatici et editores, verum etiam codices inter se discrepent ex, gr. Bacch. I, 2, 54 »tibi ego **aut** tu mihi servus es?« codices habent an et antiquae editiones, quod a recentioribus editoribus recte in aut mutatum est, nam sententia idem valet quod: num ego tibi aut tu mihi servi sumus? Similiter Plin. Paneg. 84, 1: »dubitare cogatur, utrum sit efficacius ad recte vivendum: bene institui **aut** feliciter nasci« — ita plurimi codices, sed Vat. optimo iure **an** (nam utrum antecedit). Plura exempla v. Hand I. pag. 551 sq. Recte igitur Draegerus Synt. II. pag. 137 haec dicit: »Wo aber echte Disjunktivfragen vorliegen, kann aut nicht stehen und wird selbst gegen die Handschriften in an verwandelt.« Cf. Hand l. l. Schmalz Synt.[3] §. 248, Krebs-Schmalz Antib. I. pag. 227.

Hist. I, 50: Nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros?

An. VI, 2: Et honoribus perfunctos an iuvenes, privatos an e magistratibus? (sc. omitti an deligi posse)

An. XVI, 28: Pacem illi per orbem terrae an victorias sine damno exercituum displicere?

An. XIV, 1: Cur enim differri nuptias suas? Formam scilicet displicere et triumphales avos, an fecunditatem et verum animum? Timeri, ne uxor saltem iniurias patrum, iram populi adversus superbiam avaritiamque matris aperiat.

Ita Draegerus (ed. IV) et multi alii editores. Aliter distinxit Nipperdeyus. Affirmat enim ita locum legendum esse, ut interrogationi: „Cur enim....?" proxima: „Formam scilicet et triumphales avos" respondeant, an vero alteram constituat interrogationem, cui iterum subsequens enunciatum: „Timeri, ne..." respondeat. Idem Olbrichtius, qui summo acumine animadvertit [1]) vocem „scilicet", cum in eis, quae cum ironia quadam pronnuncientur, responsis habeat locum, [2]) apud nullum scriptorem nisi apud Terentium Eun. 2, 3, 54 inveniri. Itaque duas habemus interrogationes simplices, quibus sua per ironiam dicta enunciata respondent: Cur enim differri nuptias suas? Formam scilicet displicere et triumphales avos! (Naturalnie! Nie podoba się.....). An fecunditatem et verum animum? Timeri, ne uxor.......

Indirectae.

Adiunctae sunt:

a) verbis:

α) interrogandi;

Hist. I, 17: Consultatum inde, pro rostris an in senatu, an in castris adoptio nuncuparetur.

Hist. II, 31: Otho consultavit, trahi bellum an fortunam experiri placeret.

Hist. IV, 67: ut missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret.

An. I, 50: consultatque, ex duobus itineribus breve et solitum sequatur an impeditius et intemptatum eoque hostibus incautum.

---

[1]) pag. 33.

[2]) cf. Kühner II. pag. 1024, §. 236, b.

An. XV, 25: consuluit inter primores civitatis Nero, bellum anceps an pax inhonesta placeret.
Hist. III, 77: percontatus, statim regredi se an perdomandae Campaniae insistere iuberet.
An. III, 12: Simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, quaesita sint per ambitionen studia militum, armis repetita provincia, an falsa haec in maius vulgaverint accusatores.[1])
An. I, 27: rogitantes, quo pergeret, ad imperatorem an ad patres.

β) dubitandi:

Germ. 46: Pleucinorum Venetorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito.
Hist. I, 37: donec dubitabitur, imperatorem in castris an hostem habeatis.
Hist. II, 33: interesse pugnae imperatorem an seponi melius foret, dubitavere.
An. IV, 20: unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi — an sit aliquid.
An. XII, 20: at Claudius dubitavit, accipere captivum pacto salutis an repetere armis rectius foret-
Hist. III, 71: hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores iniecerint an obsessi.

δ) aliis:

Hist. IV, 60: simulata ea fuerint an retinere saevientes nequiverit, parum adfirmatur.
Agr. 11: ceterum Britanniam qui mortales initio coleurint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum.
Hist. II, 42: is rumor ab exploratoribus Vitellii dispersus an in ipsa Othonis parte seu dolo seu forte surrexerit, parum compertum.
An. I, 5: neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem reppererit.
An. III, 12: illic asperasset iuvenem exituque eius laetatus esset, an scelere exstinxisset, integris animis diiudicandum.
An. VI, 1: miserius sit ob amicitiam accusari an amicum accusare, haud discreverim.

---

[1]) cf. Olbricht pag. 9. adn. 1.

An. XI, 38: perisse Messalinam, non distincto sua an aliena manu.
Hist. I, 69: haud facile dictu est, legati minus placabilem imperatorem an militem invenerint.
An. IV, 34: sed ipse divus Iulius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia.
An. I, 62: nullo noscente, alienas reliquias an suorum humo tegeret.
Hist. III, 66: id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias effundant an per virtutem.
Hist. II, 7: nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret.
An. XI, 36: sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre.
An. IV, 40: posse ipsam Liviam statuere, nubendum an in penatibus iisdem tolerandum haberet.
Dial. 32: longeque interesse manifestum est, possideat quis, quae profert, an mutuetur.

b) adiectivis:

An. XIII, 41: Medi an Albani peterentur, incertum.
Hist. I, 47: omisisset offensas an distulisset, brevitate imperii in incerto fuit.
Hist. IV, 86: qua cogitatione bellum adversus fratrem agitaverit an opes viresque, in incerto fuit.
An. XV, 36: senatus et primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur.
Hist. I, 81: trepidi, manere ac deprehendi an fugere et dispergi periculosius foret.

c) substantivis:

An. XII, 64: enimvero certamen acerrimum, amita potius an mater apud Neronem praevaleret.
An. XIII, 6: daturum plane documentum honestis an secus amicis uteretur.
An. III, 14: vario rumore, custos saluti an mortis exactor sequeretur.

d) locutionibus quibusdam:

An. VI, 44: cum Tiridates distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret.
An. II. 46: quod ipsorum in manu sit, integrum bellum an pacem incruentam malint.
Hist. IV, 17: cohortibus, abire an manere mallent, data potestate.

Superest, ut in An. XII, 52 subsistamus, quo loco codices hanc exhibent scripturam: „morte fortuita an per venenum exstinctus esset, ut quisque credidit, vulgavere". E loci structura sequitur interrogationem disiunctivam voci „vulgavere" esse obnoxiam, quod tamen ferri nequit. Numquam enim componitur verbum „vulgare" cum interrogatione. Quae cum ita sint, vocabulum quoddam subintellegendum est, ex quo interrogatio nostra pendeat, ex. gr. „incertum est". Sed et ita quoque locus obscurus redditur, cum nesciamus, quonam modo „ut quisque credidit, vulgavere" cum antecedentibus coniungamus. Recte igitur viri docti hoc loco anacoluthon subesse suspicati sunt[1]). Et sane facilis esset intellectu locus, si Tacitus scripsisset: „Quia incertum erat, morte fortuita an per venenum esset exstinctus, ut quisque credidit, vulgavere" aut quod alii proposuerunt: „morte fortuita an per venenum exstinctus esset, non satis constitit. Nam alii morte fortuita, alii per venenum exstinctum esse, ut quisque credidit, vulgavere".[2])

Si nunc interrogationes adhuc notatas, quarum priores partes nullis particulis introducuntur, perpenderimus, eas apud Tacitum 46 locis occurrere inveniemus: 5 directas, 41 indirectas, et quidem: 2 in Dial. 1 in Germ. 17 in Hist, 25 in An. Inde apparet perpaucas exstare in minoribus scriptis, plures in Historiis, plurimas in Annalibus, temporis igitur decursu usum earum tam frequentem factum esse, ut in Annalibus pluribus (25) offendamus, quam in ceteris libris (21).

Interrogationum ellipticarum, de quibus abhinc dicturus sum, hoc imprimis est proprium, quod non universarum sententiarum vice funguntur, sed in alia enunciata tamquam solidae eorum partes interseruntur aut eis apponuntur. Exhibent autem ellipsin duplicem aut triplicem aut etiam quadruplicem.[3])

---

[1]) Similiter An. XIV. 9: »Aspexeritne matrem exanimem Nero et formam corporis eius laudaverit, sunt, qui tradiderint, sunt, qui abnuant.« Hic confusae sunt duae constructiones: 1) aspexerinte et laudaverit, incertum est 2) aspexisse et laudasse, sunt, qui tradiderint, sunt, qui abnuant.

[2]) cf. Orelli adn. Draeger adn, Syntax u. Stil des Tacitus §. 254, Nipperdey adn.

[3]) latius eam rem tractat Woelfflinus Philol. XXV. pag. 92 sqq.

Polono quoque sermoni usitatissimum est id genus interrogationum. Nam ex. gr. An. XV, 60 polone sic reddi potest:

1) Ten — niepewne czy przypadkiem czy umyślnie — powrócił z Kampanii.

2) Ten — niepewne przypadkiem czy umyślnie — powrócił z Kampanii.

3) Ten — czy przypadkiem czy umyślnie — powrócił z Kampanii.

4) Ten — przypadkiem czy umyślnie — powrócił z Kampanii.

Cum autem eae interpositiones et appositiones verbo finito careant, particula „an" cum indicativo enunciati regnantis composita esse videtur, quocirca etiam significatio interrogativa eius particulae attenuatur ita, ut „an" ad vere disiunctivas coniunctiones „aut, vel, ve, sive" proxime accedat et pro eis posita esse putetur. Inde facile eae coniunctiones pro „an" substitui possunt, aliquot autem locis re vera eius loco usurpatae sunt. Nunc accedimus primum ad

II.

Interrogationes, quae duplici ellipsi explicari possunt.

Formam habent duplicem:

a) addita, cui subordinata est interrogatio, voce dubitandi, ambo membra particula „an" disiunguntur. Omittitur particula interrogativa in priori membro et verbum finitum interrogationis.

b) omissa voce dubitandi et verbo finito interrogationis membra particulis „ne-an" inter se opponuntur.

a.

Omnes huc adnotandae interrogationes pendent ex compendio „incertum" (sc. est). Sunt autem per appositionem conformatae, una tantum per parenthesin.

Agr. 7: nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio.

Si plenius dicimus, scribendum est: Nec legatus praetorius ad cohibendum potens erat. Sed suone an militum ingenio cohibere non potuerit, incertum est.

Hist. IV, 6: ea ultio, incertum maior an iustior, senatum in studia deduxerat.

Parenthesis ratio haec est: Ea ultio senatum in studia deduxerat. Sed utrum ea maior fuerit an iustior, incertum est:

An. I, 11: addideratque consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidiam.

An. XIV, 9: ipse se ferro transegit, incertum caritate in patronam an metu exitii.

An. XIV, 51: concessitque vita Burrus, incertum valetudine an [1]) veneno.

An. XV, 38: sequitur clades, forte an dolo principis incertum.

Uno loco adiectivum „incertus" occurrit personaliter:

An. XIII, 19: nemo solari, nemo adire praeter paucas feminas, amore an odio incertas.

b.

Hist. IV, 47: Ceterum, verane pauperie an, uti videretur, actum in senatu, ut mutuum acciperetur.

Plena interrogatio ita se habet: Ceterum actum in senatu, ut mutuum acciperetur. Sed verane pauperie id factum sit, an, ut videretur, incertum est.

An. XII, 30: regnum Vangio ac Sido inter se partivere, egregia adversus nos fide, subiectis, suone an servitii ingenio, dum adipiscerentur dominationis, multa caritate et maiore odio, postquam adepti sunt.

An. XII. 67: nec vim medicaminis statim intellectam socordiane an Claudii vinolentia.[2])

III.

Interrogationes, in quibus triplices omissiones occurrunt.

Nativam vim particulae „an" interrogativam temporis decursu magis magisque evanuisse et ad vere disiunctivam coniunctionum „aut, ve, vel, sive" proxime accessisse supra iam monuimus. Id attingit praecipue interrogationes, de quibus mox disputabo. Quarum in minoribus scriptis nullum deprehenditur vestigium, in

---

[1]) ex correctura Rhenani, codex enim M. exhibet aut; cf. Greef-John Lex. Tac. pag. 128 sub v. aut et pag. 614 sub. v. incertum.

[2]) nonnulli hunc locum corruptum putant (Gerber-Greef-John Lex. Tac. pag. 911): Rhenanus proposuit correcturam: »socordiane Claudii an vinolentia«. Ceterum cf. Ulbricht pag. 24 adn. 2.

Historiarum libris quinque, plurima in Annalibus.[1]) Recte igitur Olbrichtius[2]) Wölfflinum[3]) secutus haec observavit: „Nam is (i. e. Wölfflinus) primus demonstravit et exemplis comprobavit Taciti genus loquendi ab initio non perfectum fuisse absolutumque, sed per viginti fere annos paulatim et singulis quasi gradibus ad summam perfectionem pervenisse".

Sed videamus, quaenam sint genera earum interrogationum, quae triplices exhibent omissiones (verbi dubitandi, particulae in priori disiunctionis membro, verbi finiti eiusdem disiunctionis).

1.

Interrogationes, in quibus duo ablativi causae particula „an" sibi oppositi sunt.

An. I, 13: quia Tiberius casu an manibus eius impeditus prociderat.

Sentontia idoneum praebet intellectum, si dicimus: „Quia Tiberius **sive** casu **sive** manibus[4]) eius impeditus prociderat" aut: „Quia Tiberius casu **aut** manibus eius impeditus prociderat".[5])

An. I, 65: missae in latera legiones metu an contumacia locum deseruere.

An. II, 42: finem vitae sponte an fato implevit.

Uno loco pro altero ablativo legimus „per" cum accusativo:

An. VI, 45: eaque perfecta contemptu ambitionis an per senectutem haud dedicavit.

2.

Substantiva et adiectiva inter se opponuntur.

Hist. III, 25: Vagus inde an consilio ducis subditus rumor advenisse Mucianum, exercitus in vicem salutasse.

An. XV, 60: is forte an prudens ad eum diem ex Campania remeaverat.

---

[1]) v. Nipperdey adn. ad An. I, 13: »An als Disiunktivpartikel ist ein Lieblingsgebrauch des Tacitus, besonders in den Büchern ab exc. divi Augusti«.

[2]) De interrogat disiunct.... praef. pag. 1.

[3]) »Jahresbericht über Tacitus« Philol. XXV. pag. 92 sqq.

[4]) cf. Hist. II, 37: pavore belli seu fastidio utriusque principis. III, 12 Bassus pudore seu metu. Similiter Hist. II, 72, An. V, 4: cf. Gerber-Greef-John Lex. Tac. pag. 1515 sq.

[5]) cf. Draeger-Becher adn. ad An. XIV, 7.

3.

Substantiva et participia.

Hist. I, 28: is magnitudine subiti sceleris an corrupta latius castra et, si contra tenderet, exitium metuens, praebuit plerisque suspicionem conscientiae.

Plena sententia ita se habet: „is **sive** magnitudine subiti sceleris **sive** corrupta latius castra et, si contra tenderet, exitium metuens, praebuit plerisque suspicionem conscientiae".

Än. II, 22: de se nihil addidit, metu invidiae an ratus conscientiam facti satis esse...

Parenthesis explicatur hoc modo: „de se nihil addidit, metu invidiae **aut** ratus conscientiam facti satis esse..."

An. II. 38: siluit Hortalus pavore an avitae nobilitatis retinens.

An. XV, 56: tum cognito Natalis indicio Scaevinus quoque pari imbecillitate an cuncta iam patefacta credens nec ullum silentii emolumentum, edidit ceteros.

Hist. IV, 66: simul Civilis, ausus an ex composito, intulit se agmini.

An. II, 67: Rhecusporis Alexandriam devectus atque illic fugam temptans an ficto crimine interficitur.

An. XV, 69: cuncta eo die munia consulis impleverat conviviumque celebrabat, nihil metuens an dissimulando metu.

„Nihil metuens an dissimulando metu" dictum est pro: „**sive** quod nihil metuebat **sive** quod metum dissimulabat".

Participia igitur in interrogationibus laudatis posita sunt pro universis enunciatis causalibus.

4.

Substantivum aut participium et universa enunciatio finalis.

An. IV, 8: ceterum Tiberius nullo metu an, ut firmitudinem animi ostentaret, curiam ingressus est.

Hist. I, 7: et Galbam mobilitate ingenii an ne altius scrutarentur,...... comprobasse.

An. III, 3: Tiberius atque Augusta publico abstinuere inferius maiestate sua rati, si palam lamentarentur, an, ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intellegerentur.

5.

Substantiva et universae sententiae causales.

An. III, 9: Ab Narnia vitandae suspicionis an, quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus auxit.

An. IV, 54: donec advertit Tiberius forte an, quia audiverat.

An. XIII, 12: quando uxore ab Octavia fato quodam an, quia praevalent inlicita, abhorrebat.

6.

In utraque disiunctionis parte enunciata finalia.

An. XIII, 9: et Vologeses, quo bellum ex commodo pararet an, ut aemulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos.

An. XVI, 23: tempus damnationi delectum, quo Tiridates adventabat, ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur an, ut magnitudinem imperatoriam caede insignium virorum ostentaret.

IV.

Interrogationes, in quibus quadruplices omissiones inveniuntur.

Quattuor exempla, quae huic interrogationum generi adserimus, ita comparata sunt, ut praeter tres ellipses, quas antecedenti capite constituimus, quarta etiam et quidem particulae „quia“ subsit. Ea autem particula enunciato, quod per „an“ antecedenti priori membro opponitur, praefixa esse debet. Qua ellipsi interrogatio ita formata est, ut, nisi „quia“ vocem supplemus, significationem primitivam particulae „an“ prorsus exstinctam esse et vere disiunctivam in eius locum successisse putemus necesse sit. Itaque

An. III, 30: „idque et Maecenati acciderat, fato potentiae raro sempiternae an satias capit aut illos, cum omnia tribuerunt aut hos, cum iam nihil reliquum est, quod cupiant“

duplici modo explicari potest:

a) si locutionem „incertum“ supplemus, „an“ idem potest, quod „an (propterea) quod“, „an (propterea) quia“, interrogatio igitur disiunctiva statuenda est ita: „Idque et Maecenati acciderat. Sed fatone potentiae raro sempiternae id acciderit an propterea, quod satias etc, incertum est“.

b) sin autem sententiam integram relinquimus, simplex tantum omissio et quidem coniunctionis „quod“ vel „quia“ post „an“ admittenda est, unde manifestum fit „an“ pro „aut, quod“ „sive quod,“ „aut quia“, „sive quia“ positum esse. Sententia igitur ita fere conformari potest: „idque et Maecenati acciderat **sive** fato potentiae raro sempiternae, **sive quod** satias capit.....“ aut: „acciderat fato.... **aut quod** satias.....“

Reliqua tria exempla haec sunt:

An. III, 44: ut solitum per illos dies egit, altitudine animi an compererat modica esse et vulgatis leviora.

An. VI, 38: quae ab heredibus occultata recitari Tiberius iussit, patientiam libertatis alienae ostentans et contemptor suae infamiae an scelerum Seiani diu nescius mox quoquo modo dicta vulgari malebat....

An. XIV, 7: igitur longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent an [1]) eo descensum credebant, ut...[2])

C.

Cum particula „an“ vim suam principalem ita abiecisset, ut pro vere disiunctivis „aut, ve, vel, sive“ usurparetur, mutua intercessit ratio apud scriptores argenteae aetatis. Qui plane singularis usus cum apud ceteros historicos aut perraro aut nisi apud Ciceronem omnino non deprehenderetur, plurimi viri docti non tribuendum Tacito illum usum, sed locos, quibus pro

[1]) cf. Draeger-Becher adn. ad h. l.

[2]) cf. Hist. I, 39: sive, ut mulceret, seu conscium Othonis credebat; cf. Olbricht pag. 27 adn. 1 et 2.

„an" ve, vel, sive, ponerentur, a scribis corruptos esse suspicabantur. At ea diligentius sunt perlustranda. Itaque singulis locis propria quaedam adhibenda est interpretatio.

1.

Posterius interrogationis disiunctivae membrum particula **ve** priori opponitur.

An. IV, 33: neque refert cuiusquam Punicas Romanas**ve** acies laetius extuleris.

Hanc codicis Medicei scripturam vetustiores editores et grammatici usque ad Waltherum integram reliquerunt, recentiorum autem Ritter,[1] Orelli,[2] Halm,[3] A. Gerber,[4] Olbricht,[5] John,[6] Gerber-Greef-John,[7] quorum ultimus haec refert: „disiungit membra interrogationis indirectae". Sed Nipperdeyus[8]) lectionem libri manu scripti reiecit, cum „ve" in bimembri disiunctione poni non posse atque incuria modo librarii pro „ne" similiter atque pro „an" An. VI, 23 „vel" et An. XIV, 51 „aut" irrupisse existimaret. Idem Halmius[9] et Draegerus.[10] Et re vera usus ille sane singularis particulae „ve" nusquam nisi apud Tacitum decipitur, interrogationum autem disiunctivarum, quarum parti priori posterior particula „ne" opponitur, satis multa exstant exempla.[11] Itaque Nipperdeyi emendatio, utpote quae et facillima, speciem quandam probabilitatis prae se ferre videtur. Sed huiusmodi usus apud Tacitum nullum est vestigium. Optimo igitur iure Olbrichtius ita ratiocinatur:[12] „Itaque si Nipperdei conjecturam recipimus, Tacito tribuemus aliquid, quod in illius quidem elocutione non minus singulare sit, quam illud, quod in Med. codice legitur" et paulo infra: „Quare cavendum est, ne Tacito hoc dicendi genus uno loco coniectura obtrudamus".

---

1) adn. ad. h. l.
2) adn. ad. h. l.
3) adn. in ed. II. et IV.
4) »de part. an« Progr. Leutschau 1864/5 pag. 12 sq,
5) pag. 16 sq.
6) in edit. Dialogi pag. 140.
7) pag. 1640, A, c, sub v. ve; cf. pag. 911 B, b.
8) Nipperdey-Andresen ed. 10 (1904) adn. ad h. l.
9) ed. 3 adn.
10) Draeger-Becher ed. 6. adn.
11) cf. Draeger Synt. §. 468 I, a, 3, Kühner Gram. §. 234, 4, Gutsche pag. 86; cf. etiam Hand IV, pag. 87.
12) l. l.

Etiam altero loco eodem, quo An. VI, 33, modo „ve“ adhibitum est. Nam An. VI, 45 legimus: „quos omiserit receperitve, in incerto fuit“, ubi „ve“ pro „an“ adhibitum esse facile intellegitur. Quod si hic particulae „ve“ usus admittitur, non video, quanam ratione illic negetur ac reiciatur.

2.

Interrogationis disiunctivae membra particula **vel** inter se opponuntur.

An. VI, 23: quem egestate cibi peremptum haud dubium, sponte **vel** necessitate incertum habebatur.

Sic tradit Mediceus. Ursinus tamen „vel“ in „an“ commutavit eumque secuti sunt Nipperdeyus et Draegerus, quorum hic ita scribit: [1]) „ve, vel, aut kommen nirgends vor statt der disiunctiva ne oder an“. Sed cum „vel“ nihil differat a „ve“, quo membra disiunctionis inter se opposita esse statuimus, etiam illud „vel“ pro „an“ positum esse recte affirmare possumus. Id Halmius quoque opinatus est, Olbrichtius [2]) et Gerberus, qui [3]) haec refert: vel est idem quod an: An. VI, 23: quem egestate.... [Urs. an, sed cf. An. IV, 33]“.

Hist. II, 41: eoque incertum fuit insidias **an** proditionem **vel** aliquod honestum consilium coeptaverint“ et

An. XIV, 3: interficere constituit hactenus consultans veneno **an** ferro **vel** qua alia vi.

Haec suppeditant codices. De quibus locis plurimi editores ita disputaverunt, ut eas interrogationes non ex tribus sed e duobus membris constare suspicarentur, quorum alterum iterum in duas partes divideretur, cum „vel“ non idem atque „an“ esset, sed propriam notionem vere disiunctivam retinens illi „an“ subiungeretur. Sic Draegerus ad utrumque locum adnotavit [4]) „vel ist dem an untergeordnet“.

Sed. Hist II, 41 legenti statim in oculos incurrit insolita prorsus diversarum notionum „proditio“ et „honestum consilium“ disiunctio particula „vel“ indicata,

---

[1]) Synt. u. Stil. §. 131.

[2]) pag. 17.

[3]) Gerber-Graf-John Lex. Tac. pag. 1744 sub v. vel; cf. Gerber Progr. Leutschau 1864/5 pag 13; Halm (ed 3.) An. IV, 33 ne, An. VI, 23 vel, Ritter An, IV 33 ve, An. VI, 23 an.

[4]) ad An. XIV, 3: cf. Synt.u. Stil §. 129; Nipperdey ad An. XIV, 3; Heraeus ad Hist. II, 41; Olbricht pag. 17 adn. 2 et pag. 20; Gerber-Greef-John pag. 1744 3, b. α.

dum „insidiae“ et „proditio“ communem quandam et quidem sceleris significationem exhibentes particula „an“ inter se opponuntur. Itaque scribendum potius esset: „insidias **vel** proditionem **an** aliquod honestum consilium“ quod Heraeus iam animadvertit, qui [1]) locum hac adumbravit adnotatione: „Da ein Mordanschlag oder Verrath gegen Otho wesentlich zu einer Kategorie gehören und beides zusammen einem ehrenhaften Plane entgegengesetzt ist“. Quae coniectura egregia quidem est—nam et sensus aptissime nostro loco convenit et „vel“ pro „an“ ponitur (ut An. VI, 23) itemque „an“ pro „vel“ (quod supra luculenter exposui) — sed a codicis scriptura prorsus recedit neque intellegitur, quanam ratione haec commutatio particularum possit explicari. Nam inversionem factam esse non adducor, ut credam. Itaque Ursinus „vel“ in „an“ correxit (similiter atque An. VI, 23), ut essent „insidias **an** proditionem **an** aliquod honestum consilium“. Parum apte. Nam „insidiae“ et „proditio“ communem quidem habent significationem sceleris, sed alterutrum est sui generis, quod Heraeo iam visum, qui ita scribit: [2]) „in insidias und in proditionem liegt ein wirklicher Gegensatz“. Inde sequitur „an“ codicis retinendum esse. Quae tamen vir doctus porro dicit: „Mit vel wird ein dritter Grund, der sonst noch denkbar wäre, dem zweiten mit an untergeordnet“ [3]) falsa esse supra iam exponebam. Itaque „vel“ in „an“ Ursino auctore esset mutandum. At „vel“ ponitur a Tacito pro „an“. Quae cum ita sint, nulla est causa, cur lectionem codicis in „an“ corrigamus. Disiunctio igitur in tres dividitur partes particulis „an-vel“ inter se oppositas.

Similiter habet se res An. XIV, 3. Olbrichtius editoribus adsentiens putat vocabula „qua alia vi“ antecedenti „ferro“ subiuncta esse non opposita, „vel“ igitur propriam et vulgarem notionem retinuisse. Haud recte. Nam „ferrum“ i. e. caedes et „vis“ i. e. in aquam immersio magis diversa sunt, quam „venenum“ et

---

[1]) ed. I; cf: Schütz Jahrb. f. Phil. u. Pädag. 1881 pag. 320.
[2]) adn. in ed. 2.
[3]) Idem Olbrichtius, qui pag. 20 profert haec: »Causa autem, cur Tacitus utroque loco »vel« non »an« posuerit, repetenda est ex indefinitis pronominibus »aliquod« et »qua,« quibus additis utroque loco duobus praecedentibus membris adiungitur tertium aliquod, quod universum quoddam genus conditionum comprehendit ita, ut eligendi potestas detur«.

„ferrum". Quae cum particula „an" disiuncta sunt, etiam darticulae „vel" eadem auctoritas tribuenda est, non retinuit igitur „vel" suam vim primitivam, sed pro „an" usurpatum est.

Aliter est Hist. III, 84: „obvius e Germanicis militibus Vitellium infesto ictu per iram **vel** quo maturius ludibrio eximeret, **an** tribunum adpetierit, in incerto fuit". Hoc enim loco „vel" videtur tantum pro „an" positum esse, re vera tamen bimembris interrogationis partem priorem in duo iterum membra dividit causas proferentia, quibus Germanus adductus est, ut Vitellium peteret. Particula vero „an" Vitellius et tribunus inter se oppositi sunt.

Alter locus, ubi particula vere disiunctiva pro „an" posita esse videtur, est Dial. 37: „nam multum interest, utrumne de furto **aut** formula et interdicto dicendum habeas **an** de ambitu comitiorum". Hic quoque facile perspicitur particulam „aut" non loco „an" dictam esse sed propriam notionem (albo) habere.

Simile exemplum exstat An. IV, 17: „accitosque pontifices percontatus est, num id precibus **aut** minis Agrippinae tribuissent".[1]) Quod Handius optimo iure ita explicat: [2]) „Non quaerebat e pontificibus, num fecissent precibus Agrippinae commoti an minis eius, sed num fecissent Agrippinae sive precibus sive minis".

3.

Interrogationes, in quibus particula „an" cum **sive** commutatur.

Nunc duo afferam exempla, in quibus „an" pro „sive" ita adhibitum est, ut „sive-an" idem valeant, quod „sive-sive potius" (graec. εἴτε-ἤ). Hunc tamen usum apud recentiores demum scriptores invenimus, colorem quendam imitantes poetarum imprimis Ovidii, apud quem Rem. am. 797. legimus: „Daunius an Libycis bulbus tibi missus ab oris, An veniat Megaris, noxius omnis erit" ubi „an-an" idem significant atque „sive-sive".[3])

---

[1]) cf. Cic. Fam. IV, 7: Cogitandum tibi esset, Romaene et domi **an** Mitylenis **aut** Rhodi malles vivere; de nat. deor. II. 88: »Hi dubitant de mundo, casune ipse sit effectus **aut** necessitate aliqua **an** ratione ac mente divina« (nonnuli codices: **an** necessitate).

[2]) I. pag. 552.

[3]) cf. Hand I. pag. 302 sq. Draeger Synt. II. pag. 493.

An. XI, 26: cum abrumpi dissimulationem etiam Silius, **sive** fatali vecordia **an** imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urgebat.

Hoc loco particulis „sive" et „an" duae causae inter se oppositae sunt ita, ut appareat „an" pro „sive" esse usurpatum. Quod Draegerus iam memoravit ita: [1]) „in unklassischer Sprache an zuweilen ganz wie sive oder geradezu damit verwechselt" et in editione ad h. l: „sive an" statt „sive-sive" ist ἀπ. εἰρ. [2])

Sed diverso quoque usu potest locus explicari. Cum enim „ve, vel" pro „an" ponuntur, etiam „sive", cuius cum „an" necessitudo artior est quam illorum, pro „utrum" aut pro „an" poni potest.[3]) Quod si admittimus, interrogatio ita fere conformanda est: cum abrumpi dissimulationem etiam Silius urgebat. Sed **utrum** fatali vecordia adductus sit, ut urgeret, **an**......, **incertum est.**

Hic „sive" positum est pro „utrum".

Alterum exemplum est:

An. XIV, 59: sed Plautum ea non movere, **sive** nullam opem providebat inermis atque exul, **seu** taedio ambiguae spei, **an** amore coniugis et liberorum.

Draegerus affirmat[4]) hoc loco „an" non oppositum esse antecedentibus „sive-seu", sed subiunctum ita, ut duo tantum exstent membra, quorum posterius particula „seu" indicatum in duas iterum partes dividatur particula „an" inter se oppositas. Quod si consentiremus, ita fere intelligendum esset: „**sive, quod** nullam [5]) opem providebat inermis atque exul, **seu** incertum est, **utrum** taedio ambiguae spei **an** amore coniugis et liberorum ea Plautum non moverint"—ellipsis igitur triplex (quod, incertum est, utrum) aut duplex (quod, incertum) statuenda esset. Sed ita nexus sententiarum efficitur ineptus. [6]) Itaque tres habemus partes, quarum ultima particula „an" pro „sive" posita praegredientibus opponitur.

---

[1]) Synt. II. pag. 465.

[2]) cf. Synt. u. Stil §. 129.

[3]) cf. Verg. Aen I, 218 sqq: »spemque metumque inter dubii, **seu** vivere credant **sive** extrema pati nec iam exaudire vocatos,« ubi »seu-sive = »utrum-an; Aen. II, 739: »erravitne via **seu** lassa resedit?«; hic »ne-seu« = »ne-an«.

[4]) Synt u. Stil § 129, Hist. Synt. II, 465, adn. ad h. l.

[5]) Obrichtius pag. 28 inepte: sive nullam.

[6]) cf. Olbricht pag. 28 sq.

Sed ut An. XI, 26, hic quoque altera obversatur ratio, qua „sive-seu-an“ pro „utrum-an-an“ adhibitum esse suspicor. Quod si concedimus, interrogatio in hunc fere modum est formanda: „Sed Plautum ea non movere. Incertum est tamen, **utrum** propterea Plautum ea non moverint, quod nullam opem providebat inermis atque exul, **an** taedio ambiguae spei, **an** amore coniugis et liberorum“. Ellipsis statuenda est duplex (incertum est, propterea quod), pro „sive“ ponitur „utrum“, pro „seu“ „an“.

Tarnopoli. *I. B. Hassny.*
